

**Sermo**

5

**A**pocalipsis. iiii. ¶ Dicitur coronas suas ante thronum dei. 22. Inde est quod in tempore resurrectionis cantat ecclesia Filie iherusalem venite et videte martirem id est cristum cum coronis quibus coronauit eum dominus. In ascensione vero superposita fuit ei corona de auro celesti. de quo Apocalipsis. xxi. ¶ Ipsa ciuitas erat de auro mundo. et ita simul ex auro terrestri et celesti confectum est ineffabile dyadema. id est duplex corona. quia sicut ecclesia militans ambit eum per fidem sic et ecclesia triumphans per speciem. vnde Psalmista ¶ Gloria et honore coronasti eum domine Gloria. in redemptione omnium. De qua dicitur Psalms. xlii. ¶ Gloriam meam alteri non dabo. honore in subiectione angelorum De qua dicitur Epheios. i. ¶ Constituit enim ad dexteram suam in celestibus supra omnem principatum et potestatem et virtutem et dominationem et omne nomen quod nominatur. nou solum in hoc seculo. sed etiam in futuro. et subiecit omnia sub pedibus eius. 22.

¶ **D**omica infra octauam natiuitatis ad Galatas. iiii.

**R**atres Quanto tempore heres paruulus est nihil differt a seruo cuius sit dominus omnium. sed sub tutoribus et actoribus est usque ad presinitum tempus a patre. Ita et nos cum essemus paruuli sub elementis huius mundi eramus seruientes. At ubi venit plenitudo temporis misit deus filium suum natum ex muliere factum sub lege. ut eos qui sub lege erant redimeret. ut adoptionem filiorum dei reci-

**decimus nonus**

peremus Quonia; autem estis filij dei misit deus spiritum filij sui in corda vestra clamantem. Abba pater. Itaque iam non est seruus sed filius. quia si filius et heres per deum.

**E**uangelium ¶ **L**uce. ii. ¶ **I**n illo tempore. Erat ioseph et maria mater iesu mirantes super hijs que dicebantur de illo Et benedixit eis symeon. et dixit ad mariam matrem eius. Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in israhel Et in signum cui contradicetur Et tuam ipsius animam pertransibit gladius ut reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Et erat ibi anna prophetissa filia phanuel de tribu aser Hec precesserat in diebus multis et vixerat cum viro suo annis. vii. a virginitate sua Et hec vidua erat usque ad. lxxiii. annos. que non discedebat de templo. ieiunians et obsecrationibus seruans deo die ac nocte Et hec ipsa hora supernemens confitebatur domino et loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem. israhel. Et ut perfecterunt omnia secundum legem domini. reuersi sunt in galileam in ciuitate nazareth. Puer autem crescebat et confortabatur plenus sapientia. Et gratia dei erat in illo

¶ **S**ermo. xix. ¶ **D**e euangelio

**E**cce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in israhel et in signum cui contradicetur ¶ In verbis istis predicat beatus Symeon tria que dominus operatur in nobis Quorum primum est viciorum destructio. ¶ Secundum est virtutum constructio